

vulneratum absentem curat; vel puerum ponit super visum, ne timeat.

C A P Y T V I.

## *De remediis non superstitionis, seu licitis.*

**S**uperstitiosum non est 1. si quis potius colligat herbas in  
solsticio, purget corpus vere. 2. si ferat reliquias, amuleta  
causâ deuotionis, ex fiducia erga Deum & Sanctos, omissis  
superstitiosis ceremoniis, & vanis obseruantiis, quibus existi-  
mace esse contra vulnera, vel subitam mortem, &c. 3. si obser-  
uat galli cantum, non ea existimatione, quasi vim haben-  
tem ex se ad destinanda maleficia, sed prout indicat dominica-  
cam Resurrectionem, S. Petri poenitentiam, vel futuras popu-  
lorum pieces, à quibus valde dæmon abhorret, & fugat-  
ur cantum illum audiendo, ut pote qui lucem odit, & fugit,  
cum *Lumina nocte canit pradicens impiger ales.* 4. si circumdu-  
cat novies iumenta ad templum S. Antonij, vel ipsem et  
circumeat circa sepulcrum B. Petri de Arbus, vel die alicuius  
sancti eis venam fecet; vel faciat annulum ex primo nummo  
in Parasceue oblato, si tamen hæc faciat ut se magis excitet  
ad precandum ob diem sancto dedicatum, vel ob affectum,  
quem habet specialiter erga sanctum, à quo opem & auxi-  
lium sperat. Aliud tamen esset, si crederet tales circumstantias  
infallibilis aut planè necessarias aut per se efficaces.

Tollendi tamen sunt tales vsus, & omnes ceremoniae ab Ecclesia non receptae, si id commode fieri possit, tanquam iij, qui superstitionem vanam redolent: at si commode tolli non possunt, non sunt condemnandi, sed simplices docendi sunt, ut habeant rectam intentionem, sic enim non committent vanam obseruantiam. Nec damnandae aliquæ consuetudines, si sicut ex devotione, nullamque sequatur scandalum, ut si in memoriam alicuius mysterij v. g. nouem mensium, quibus Christus fuit in utero, nouem, vel ad exemplum S. Gregorij 30. Missæ celebretur cum certo cereorum numero; modò non ita fides collectetur in eo numero, ut non licet illum angere aut injurie.

Multi